

# Aristotelis de inter-

P R E T A T I O N E   L I B E R,

*Jacobo Lodoico Strebæo interprete.*

P A R I S I I S,

*Apud Vascofanum, via Iacobea, ad insigne Fontis.*

M. D. XLVIII.

C V M P R I V I L E G I O R E G I S.

*Capita quæ continentur hoc libro.*

<i>De nomine.</i>	1.
<i>De uerbo.</i>	2.
<i>De oratione.</i>	3.
<i>De affirmatione &amp; negatione.</i>	4.
<i>De duobus extremis enunciationum.</i>	5.
<i>Quæ affirmatio negatioque sit una.</i>	6.
<i>De futuris contingentibus.</i>	7.
<i>De enunciationibus infinitis.</i>	8.
<i>De enunciationibus modorum.</i>	9.
<i>De contrarijs aptioribus.</i>	10.

PRIVILE GIV M irrogatum libris de uniuersitate  
tione differendi à Strebæo recens latinitate donatis, explica-  
tum est in libro Porphyrij de elementis dialecticis.

# ARISTOTELIS DE INTERPRE- TATIONE LIBER.

**T**AT VENDVM primum quid sit nomen, quidque uerbum, deinde quid sit negatio & affirmatio, quid enunciatio & oratio. Voces porro signa sunt & notae earum quas fert animus notionum, & scripta uocum. Ac ut non omnibus eadem sunt literæ, sic non eadem uoces. At uero notiones animi, quæ primum significantur uocibus, apud omnes eadem, resque iam sunt omnibus eadem, quarum speciem referunt & imaginem animi notiones. Sed his de rebus in libris de anima. Non enim sunt huius, sed alterius negotij. Et ut in animo est aliquando notio sine ulla significacione ueri falsiue, & interdum notitia cui iam necesse est alterius inesse, sic & in uoce utrumq; reperitur. Verum enim & falsum est in coniunctione & in disiunctione. Atque adeo nomina & uerba similia sunt notioni, quæ coiunctione & disiunctione caret, ut homo aut candor, si nihil adiungatur, quia nihil dum uerum falsum est. Huius rei signum est & argumentum, nomen tragelaphus, quod quidem aliquid significat, sed neque uerum iam neque falsum, nisi si quis adiunxerit aut esse aut non esse, uel simpliciter, uel aliquo tempore.

De Nominis.

I.

**N**O M E N igitur est uox ex instituto significans sine designatione temporis, cuius pars nulla designat aliquid separata. Nam in eo nomine quod est callippus, hippus id est equus per se nihil significat, ut in hac oratione, καλός ιππος,

A ij

*id-est pulcher equus. Etenim non est eadem ratio nominum simplicium atque coniunctorum: propterea quod in illis pars haudquaquam significat, in his uult quidem, sed nihil designat separata, ut in nomine Epactrocles, nihil, celestes, per se significat. Ex instituto significare dicitur, quia nullum nomen est à natura factum, sed instituitur quando nota fit ex signum. Nam soni qui non scribuntur, ut ferarum, aliquid etiam declarant, quorum nullus est in nominibus. Non homo non est nomen, nec enim nomen est impositum quo debeat appellari, quia neque est oratio neque negatio: appelleatur nomen infinitum, quia æque de re qualibet tam quæ est, quam quæ non est, dicitur. Philonis aut Philoni, ex quæ sunt huiusmodi, non sunt nomina, sed nominum casus. Definitio nominis pertinet ad eum casum, sed alia nomina per se constant, non hic casus: propterea quod si iungatur cum uerbo aut est, aut erat, aut erit, non ostendit aut uerum aut falsum: id quod semper facit nomen, ut cum dicitur, Philonis est, aut non est, nihil dum uerum falso me demonstrat.*

## De Verbo.

2.

*V E R B U M uox est significans cum designatione temporis, cuius pars nulla significat aliquid separatim, ex est nota quæ de alio semper enunciatur. Verbū dico uocem significantē cum designatione temporis, ut ualetudo est nomen, ualet uerbū, quia uox significans cum designatione temporis instatīs, ex signum quod de alio semper enunciatur, ut unum eorum quæ de subiecto dicuntur, aut in eo sunt. Non ualet, non ægrotat, uerbum non appello. Vox est quidem significans quidpiam cum designatione temporis, ac de aliquo semper enunciatur. Sed quia differentiae nullum est inditum nomen, appelletur infinitum*

infinitum uerbū, quia peræque de re qualibet tam quæ est, quia  
quæ nō est, enunciatur. Ac item ualebit, ualebat, nō sunt uer-  
ba, sed uerborum casus. Differunt à uerbo, quod hoc signifi-  
cat aliquid cum designatione temporis instantis, illa circum-  
iecti. Verba porro cum dicuntur ipsa per se, nomina sunt, at-  
que aliquid significant: quia qui enunciat, concipit aliquam  
sententiam, & qui audit, acquieuit: sed utrum sit aliquid an  
non, haudquaquam significant. Non enim indicant esse rem uel  
non esse. Quod si dixeris hoc solum, est, id quidem nihil est,  
quia hoc uerbi prae se fert coniunctionem quandam, quā sine  
coniunctis intelligere non licet.

## De Oratione.

30

ORATIO vox est aliquid significans, cuius pars ali-  
qua designat quidpiam separata, sed ut una vox significans  
ex instituto, non ut affirmatio aut negatio. ut homo significat  
aliquid, sed non ostendit, sit necne. Erit affirmatio aut nega-  
tio, si quid adiunctum fuerit. Non ita significat una hominis  
syllaba. Non enim in uocabulo mus, us aliquid significat, sed  
iam non aliud est quām vox: in coniunctis aliquid significat,  
sed nequaquam per se, uti dixi. Omnis oratio significat ali-  
quid, non ut instrumentum, sed ex instituto, sicuti iam dixi-  
mus. Non omnis aliquid enuntiat, sed ea in qua uerum est at-  
que falsum: id quod in omnibus non est, ut deprecatio est  
oratio, sed neque uera neque falsa. Quapropter aliæ omit-  
tantur, quarum cognitio potius est artis rhetoricae, aut poeti-  
ca disciplinæ. Ea quæ enuntiat, huius est contemplationis.  
Enunciatio una atque prima est affirmatio, altera negatio.  
Cæteræ omnes coniunctione coalescunt in unam. Necesse est  
autem, ut omnis enuncians oratio cōstet ex uerbo, aut aliquo

A iij

uerbi casu. Etenim hominis definitio si non adiungatur, aut est, aut erat, aut erit, aut aliud uerbū generis eiusdē, nondum est enunciatio. Cur animal terrenum bipes sit unum quidam non multa, (non enim quia continenter id enunciatum fuerit, siccirco unum erit.) ea de re differere non est institutae disputationis. Porro autem enunciaus oratio est una, que aliquid unum significat, aut quæ coniunctione & uinculo sit una. Multæ sunt quæ multa non unum quiddam significant, aut quæ minime uinctæ sunt. Nomen igitur & uerbum sit una uox significans ex instituto, quia dici non potest eum qui sic aliquid uoce exprimit, explicare quidpiam siue quis roget, siue non roget, sed cum qui aliquid certum statuit. Enunciatiōnum alia simplex, ut quæ unū aliquid de aliquo dicit, aut alicui negat inesse: alia ex simplicibus composita, ut quæ iam coniuncta est oratio. Enunciatio simplex est uox significans aliquid esse aut non esse, pro temporum distributione.

## De affirmatione &amp; negatione.

4.

AFFIRMATIO est alicius de aliquo enunciatio. Negatio, quæ aliquid ab aliquo tollit enunciatio. Quia uero pronunciare licet id quod est, nō esse: quod non est, esse: atque esse quod est: non esse quod non est: itemque cæteris temporibus à præsente distinctis, licebit id omne quod affirmauerit aliquis, negare: quod negauerit, affirmare. Perspicuum est igitur omni affirmationi negationem, negationi omni affirmationē opponi. Hæc oppositio qua affirmatio negationi respondeat ex aduerso, contradictione nominetur. Contradictionem dico, ubi de eodem dicitur idem, nulla nominis ratione diuersa. Adde cætera generis eiusdem, que statuimus contra molestias sophistarum.

De

## De duobus extremis enunciationum.

5.

**Q**VONIAM autem res aliæ cōmunes ad totum genus, aliæ ad partes singulas pertinent, (totum genus dico, quod suapte natura de multis enunciatur: partes singulas, que de multis nō possunt enunciari, ut homo est generis uniuersi, Callias partium singularum) necesse est ut ostendamus interdum generi cuidam, interdū parti aliquid aut inesse aut non inesse. **Q**uod si quis uniuersē demonstret in toto genere aliquid inesse & non inesse, enunciationes erunt contrariæ. Dico in toto genere aliquid uniuersē explicari, ut omnis homo candidus est, nullus homo candidus est. Cum uero ostenditur aliquid in toto genere quidem, sed nō uniuersē, nō sunt enunciata cōtraria. Fieri tamen interdum potest, ut res quæ significantur, sint contrariæ. Dico in toto genere aliquid non uniuersē declarari, ut est albus homo, non est albus homo. Nam cum sit homo totum quoddam genus, nō uniuersē usurpata est enunciatio. Nam hæc uox omnis, non uniuersum quiddam significat, sed ostendit aliquid uniuersē dici. Cum totum genus uniuersē de aliquo dicitur, oratio non est uera. Nulla quidem erit uera affirmatio, in qua genus uniuersum enunciatur uniuersē, ut omnis homo, omne animal est. Itaque affirmationem & negationem aduersari dico contradictoriū more, eam quæ uniuersē confirmat alicui aliquid inesse, & eam quæ negat idem eidem uniuersē conuenire, ut omnis homo albus est, non omnis homo albus est: nullus homo albus, homo aliquis albus. Contrarie opponi dico uniuersi generis affirmationem, & eiusdem negationem, ut omnis homo iustus, nullus homo iustus. Hæc quidem nequeunt simul esse uerae. His oppositæ aliquando possunt in eodem simul esse uerae,

# ARISTOTELIS

*ut non omnis homo candidus, aliquis homo candidus. Porro autem contradictionum generis uniuersi quæ efferuntur uniuerso, necesse est alteram esse ueram aut falsam, & earum quæ in singulis partibus uersantur, ut albus est Socrates, non est albus Socrates. Earum uero quæ sunt generis uniuersi, sed non enunciantur uniuerso, non semper una uera, altera falsa. Posset enim simul uere dicere, est homo candidus, non est homo candidus: est homo pulcher, non est homo pulcher. Etenim si est deformatus, non pulcher, si que fit aliquid, non adhuc est. Absurdum continuo uidebitur esse: propterea quod hæc oratio, Non est homo candidus, uidetur unius significare quod hoc, Nullus homo candidus: sed nec idem significat, nec simul est necessario. Perspicuum est autem negationem unam unius affirmationis esse: quia negatio debet id negare quod affirmavit affirmatio, ac tollere ab eodem aut individuo, aut genere uniuerso, quod enuncietur uniuerso aut non uniuerso. uerbi causa, Est Socrates albus, non est Socrates albus. Quod si aliud quicquam tolleret ab eodem, aut idem ab alio, non erit opposita, sed diuersa. Huic, omnis homo candidus, opponitur illa negatio, non omnis homo candidus: huic, aliquis homo candidus, illa, nullus homo candidus: huic, est homo candidus, illa, non est homo candidus. Vnam igitur affirmationem uni aduersari negationi in contradictoribus, & quæ sint contradictentes ostendimus: diximusque alias esse contrarias, & cuiusmodi sint, atque non omnem contradictionem ueram aut falsam esse, & qua de causa, & quando uera sit aut falsa.*

*Quæ affirmatio negatioque sit una.*

6.

AFFIRMATIO & negatio est una, quæ unū inesse uni significat, siue genus uniuersum dicatur uniuerso, siue alter.

ter, ut Omnis homo candidus est, non omnis homo candidus est. Est homo candidus, non est homo candidus. Nullus homo candidus, aliquis homo candidus: hæc ita sunt, si album significet unum. Si duobus unum sit inditum nomen, ex quibus non constat unum, non erit una affirmatio, aut negatio: ut si quis nomen uestis imponat equo & homini, ac dicat, uestis est candida, non erit hæc una affirmatio negatio: quia nihil interest utrum sic dicas, an hoc modo: homo equus est. candidus, que tantum ualeat quantum duc. Est homo candidus, est equus candidus. Quod si istæ multa significant, plurisque sunt, non est dubium quin prima aut multa aut nihil significet, quia non est homo qui sit equus. In his igitur nihil est necesse ex contradictibus unâ esse ueram, alterâ falsam.

De futuris contingentibus.

7.

IN HIS porro quæ sunt & fuerunt, necesse est affirmationem aut negationem ueram esse uel falsam: & in pronunciatis de toto genere quod enunciatur uniuersè, unum esse uerum, alterum falso: in singulis partibus eodem modo: id quod supra demonstratum est. In ijs autem quæ sunt generis uniuersi quidem, sed pronunciata non sunt uniuersè, nihil est necesse: de quibus etiam locuti sumus. Non est eadem ratio omnium, quæ futurorum: quoniam si omnis affirmatio aut negatio uera esset aut falsa, necesse foret omnia aut esse, aut non esse. Nam si quis aliquid esse futurum dicet, & alter affirmabit hoc idem non esse futurum, sine controuersia alter necessario uera dicet, si omnis affirmatio & negatio est uera uel falsa: quia non erit utrūque simul in eiusmodi pronunciatis. Nam si uere dicetur, aliquid album fore aut non album, necesse est ut album sit, aut non album. Ac si quid est

B

album aut non album, licet affirmare uere aut negare. Quod si res non est, affirmat aliquis falso: & si falso confirmat, res non est. Necesse est igitur semper affirmationem aut negationem uerā esse uel falsam. Nihil igitur est, nihilque fit temeritate fortunæ: nihil in alterutram partem cadet aut non cadet: sed ex necessitate fiunt omnia, non hoc aut illud, ut fortuna tulit. Aut enim uerum dicit qui rem fore confirmauit, aut qui negauit: quia si eueniret alterutrum, tam posset non fieri quam fieri. Nam quod fit ut sors tulit, non hoc potius quam illo modo euenit aut eueniet. Præterea si quid album est modo, uere antea dicebatur album futurum. Quapropter quicquid euenit iam, uere semper antea dicebatur esse, aut futurū. Si uere semper dicebatur aut esse, aut fore, fieri non potest ut id non sit, aut futurum non sit. Quod euenit ita ut in alteram partem cadere non possit, id non potest non fieri: quod non potest non fieri, id fieri necesse est. Omnia igitur quæ futura sunt, euenire est necesse. Nihil ergo in alterutram partem cadet, nihilque fit temeritate fortunæ: quia si quid accidet casu, non efficietur necessario. Enim uero dici non potest neutrum pronunciatum esse uerum, nempe quod res neque est futura, neque non futura. Primum si falsa sit affirmatio, fieri non poterit ut non uera sit negatio: & si negatio sit falsa, fieri non potest ut sit affirmatio non uera: deinde si uere dicitur aliquid album simul & magnum esse, necesse est utrumque inesse. Si uere dicitur fore cras album simul & magnū, cras erit eiusmodi: si cras neque erit, neque non erit, non eueniet alterutru: ut nauale bellum, quia necesse erit neque geri, neque non geri. Haec & alia eiusmodi dicta absurdā sequuntur, si affirmatis omnis atque negationis, siue in enūciationibus ex tota genere.

genere uniuerso enunciato, sive in iis quæ ex individuis constant, necesse sit alteram ex aduerso pugnantem esse ueram, alteram falsam: nihilque in utramlibet partem uariet corum quæ fiunt, sed necessario sint et orientur omnia. Quare deliberare non oportebit, non etiam negociasi. Nam si faciemus istuc, hoc eueniet: si non faciemus, hoc non eueniet. Nihil enim prohibet in annum decies millesimum aliquem dicere, hoc esse futurum: aliquid negare, ut necessario futurum sit alterū, quod tum uere dicebat futurum. Atqui nihil interest utrum dixerint aliqui rem fore et non fore, an minime dixerint. Non enim dubium est, quin ita res habeant, etiam si non affirmet unus, alter neget. Non quia affirmauit aliquis aut negauit, siccirco res erit aut non erit, uel in annum decies millesimum, uel quoquis tempore. Itaque si omni tempore sic res erant, ut altera pars contradictionis uere diceretur, necesse erat illam euenire. atque omnia quæ fiunt, semper ea fuerunt conditio-  
ne, ut necessario fierent: quia si quis uere pronunciauit aliquid futurum, ut eueniat est necesse. atque id quod euenit, semper uere dicebatur futurum. An uero sunt hæc in eorum nume-  
ro quæ fieri non possunt? Nam uidemus quædam futura du-  
cere initium et à consilio, et ab actione quapiam: ac plane in iis quæ non semper efficiunt, tam posse aliquid esse, quam non esse: quibus in rebus utruque euenire potest, ut aut aliquid sit aut ne sit: ut que fiat aut ne fiat. Ac multa scimus huius es-  
se naturæ, ut hanc uestem posse discindi quæ nequaquam discin-  
detur, sed prius attteretur: itemq; posse non discindi: non enim licuisset eam prius attteri, si non potuisset non diuidi. Similis  
est ratio ceterarum rerum nascentium, quæ ex eiusmodi fa-  
cultate contingentium nomen accipiunt. Perspicuum est igitur

B ij

# ARISTOTELES

non omnia fieri ex necessitate uel esse, sed esse quædam in  
 utram partem sors tulerit cadentia, quoru[m] affirmatio non  
 potius est uera aut falsa, quam negatio: quædam, quorum  
 unum quidem potius s[ecundu]mque fit: sed enim alterum quo-  
 que fieri potest, ut illud alterum nō eueniatur. Esse porro quod  
 est, quando est, ac nō esse quod nō est, quo tempore nō est, ne-  
 cessé quidem est: non tamen id omne quod est esse, et quod nō  
 est non esse, est necesse. Non enim si id omne quod est, quando  
 est, necessè est esse, siccirco simpliciter est necessario: quod idem  
 in eo quod non est, dicas licet. Est eadem ratio contradic-  
 tio-  
 nis, in qua quicquid enunciatur esse aut non esse, fore aut nō  
 fore necesse est. Verūenim uero ubi diuiseris, alteram partem  
 dicere necessariam non licet. uerbi gratia, nauale bellum cras  
 geri aut non geri est necesse: tamen necesse non est ut bel-  
 lum nauale cras geratur: nec est necesse ut non geratur, sed  
 ut aut geratur aut ne geratur. Quoniam igitur ut res uerae  
 sunt, sic et orationes: nemini dubium est quin ea que uaria-  
 re possunt in utrunque partem, et in contraria flectere, ha-  
 beant similem contradictionem: id quod fit in ijs quæ non o-  
 mni tempore sunt, aut non omni tempore nulla sunt. Contra-  
 dictionis eorum partem alteram esse ueram uel falsam neces-  
 se est, non tamen hanc uel illam, sed alterutram, et alterā ad  
 uerum propensiorem, non tamen iam ueram uel falsam. Per-  
 spicuum est igitur non esse necesse affirmationis omnis atque  
 negationis oppositæ, hoc quidem esse uerum, illud autem fal-  
 sum. Non enim est eadē ratio eoru[m] quæ sunt, et eoru[m] quæ nō  
 sunt quidē, sed esse uel nō esse possunt: sed est ea, quā diximus.

De enunciationibus infinitis.

8.

AFFIR MATIO aliquid de aliquo dicit, idque aut  
nomen

*nomen est, aut appellatio nomine uacans. Ac unum esse et de uno dici debet, id quod est in affirmatione. Nomen autem et appellatio nomine uacans, à nobis est explicata. Illud enim non homo, nō nomen, sed infinitum nomen appello. Vnū sane designat quodāmodo nomen infinitum, ac tale est, quale illud, non ualet, quod nō uerbum, sed infinitum uerbum uoco. Haec cum ita sint, omnis affirmatio atque negatio constabit aut ex nomine et uerbo, aut ex infinito nomine atque uerbo. Nulla quidē sine uerbo est affirmatio negatioque. Hoc uerbum est, aut erat, aut erit, aut fit, aut alia generis eiusdē, sunt in ijs quæ antea statuebamus. Significant enim cum designatione temporis. Erit igitur affirmatio prima atque negatio, ut hæc: Est homo, nō est homo: altera, ut hæc: Est nō homo, nō est non homo. Rursum prima, Est omnis homo, non est omnis homo: altera, Est omnis non homo, non est omnis non homo. Est eadem ratio temporum quæ distinguntur à præsentibus.*

Cum autem uerbum Est, tertium adhibetur atque de alio enunciatur, iam duobus modis oppositiones exprimuntur. Dico tertium adhiberi, ut in hac oratione, Homo iustus est. In affirmatione illud nomen aut uerbum Est, adiungi tertium dico. Ea de causa quatuor efficientur enunciationes, quarum duæ ex ordine respondebunt affirmationi et negationi quasi priuationes: duæ nequaquam. Hoc dico, uerbum Est adiungetur aut iusto, aut nō iusto: utrique igitur etiā negatio. Quatuor igitur efficientur enunciationes. Quod dicimus, ex subiecta enūciationum descriptione animo perspicere possumus. Homo iustus est. - huius negatio. Homo non est iustus. Est homo nō iustus. huius negatio. Non est homo nō iustus. Hic enim uerba est, nō est, adiungentur iusto atq; non iusto.

B ij

## ARISTOTELES

haec igitur, ut in analyticis ostendimus, eo ordine descripta sunt. Similis erit ratio, si uniuersē nomē affirmetur, ut *Omnis homo iustus est*, cuius haec negatio, *Non omnis homo iustus est*: *Omnis homo est nō iustus*, Non omnis homo est nō iustus. Nisi quod non item quæ ex transuerso respōdent, simul esse ueræ possunt, tametsi aliquando possunt. Hæ due quidē opponuntur inter se: aliae duæ cum hoc nomine infinito non homo, quod uti subiectum quiddā est additum: ut *Non homo iustus est*, non est nō homo iustus. *Non homo nō iustus est*, non est nō homo non iustus. Haud plures sunt oppositiones. Hæ quidem sine illis per se ipſæ cōstabunt, utentes quasi nomine quodam, nempe non homo. In quibus autem uerbum *Est* non cohæret uti copula: ut cū quid ualere dicimus & ambulare, in ijs idem efficit ita positū, quod illud uerbum *Est*, si copulādi causa adiunctum fuisset, ut *Omnis homo ualet*, omnis homo non ualet: *Omnis nō homo ualet*, omnis non homo non ualet. Non enim dicendum sic, *Non omnis homo*, sed aduerbiū negandi *Non homini est adiungendū*: quia haec uox, *Omnis, nō uniuersum quiddam significat*, sed uniuersē: id quod perspici potest ex hoc enunciationum genere, *Valet homo, non ualet homo: Valet non homo, non ualet non homo*. Enunciationes hæ differūt ab illis, quia nihil enunciatur uniuersē. Vox igitur haec *Omnis*, aut *Nullus*, nihil aliud significat, quam non minis affirmationē uel negationem quæ fit uniuersē. cætera igitur debent eadem adhiberi. Quia uero huic enunciationi, *Est animal iustum*, cōtraria est negatio, quæ dicit nullū animal esse iustum, haud dubie non erunt hæ simul ueræ in eodē. Quæ respondent ex aduerso, aliquando simul erunt ueræ, ut *Non omne animal est iustum: aliquod animal est iustum*. Hæ quoque

quoque pronunciata consequentia sunt, Omnis homo est non iustus, Nullus est homo iustus: et hæc, Est non homo non iustus, Est aliquis homo iustus: quia necesse est aliquem esse iustum. Nec dubium est quin si rogatus aliquis in proprijs nominibus uera negare possit, idem possit affirmare uera: ut Estne sapiens Socrates? Non. Socrates igitur est non sapiens. In cōmunitatibus uerbis uera non est ea quæ similiter enunciatur: sed est uera negatio, ut Estne omnis homo sapiens? Nequaquam. Omnis igitur homo est non sapiens. hæc certè falsa est enunciatio: sed illa, Non omnis igitur homo sapiens, uera. hæc quidem opposita, illa uero contraria. Quæ uero constat ex infinitis nominibus et uerbis oppositis, quale est, non homo et non iustus, quasi negationes sine nomine et uerbo uidebuntur esse, non sunt autem. Nam semper est necesse ueram aut falsam esse negationem. at qui prouinciauit hoc, non homo, nihil uerius dixit, quam qui enunciavit hoc nomen Homo: nihil magis falso, immo uero minus, nisi si quid fuerit adiunctum. Hæc oratio, Omnis non homo iustus, non idem significat quod illarum quæpiam: nec ea quæ huic opponitur, Non omnis non homo iustus. Hæc uero, Omnis non homo non iustus, idem significat quod, hæc, Nullus non homo iustus. Nomina et uerba traiecta idem significant, ut est albus homo, est homo albus. Quod si non est, plures erunt eiusdem negationes. at demonstrauimus unam unius affirmationis esse negationem. Huius orationis, Est albus homo, negatio est hæc, Non est albus homo: huius enunciationis, Est homo albus, si non est eadem quæ illa, Est albus homo, negatio erit aut hæc, Non est non homo albus: aut hæc, Non est homo albus. Si altera negatio nempe hæc, Non est non homo albus, pertinet ad hanc, Est non homo albus, altera ad

# ARISTOTELES

illam, Et albus homo: unius affirmationis erunt duæ negationes. Perspicuum est igitur nominis & uerbi traiecti eandem esse affirmationē negationēque. Si de multis aliquid unum, aut de uno multa dicātur affirmando uel negando, nō una est affirmatio aut negatio, nisi aliquid unum sit quod ex multis ostenditur. Vnum dico, nō si nomen unū sit impositum multis, ex quibus nō constet aliquid unū: ut cum dicitur Homo est & animal, & bipes, & domitum: plura quidem uidentur, sed unum efficitur ex illis. At ex albo, & homine, & ambulando, nō efficitur unum. Quapropter nō si quis unum aliquid de his enūciet, erit una affirmatio, sed una uox, & affirmations multæ: nec si de uno hec omnia, sed item multæ. Quod si interrogatio dialectica respōsionis est petitio, aut propositionis, aut alterius particulæ cōtradictionis, ac propoſitio pars est unius cōtradictionis; ad hæc nō erit una responſio: quia nō est una interrogatio, ne si uera sit quidem. Sed his de rebus in libris de locis argumentorū. Ac simul planum fit non esse dialecticam interrogationem, qua queritur, quid res sit. Debet enim qui rogat, facere potestatem legēdi utram uelit alter cōtradictionis partem: nō interrogare quid sit homo, sed decernēdū proponere, an hoc sit homo, an nō sit. Quia uero nōnulla enunciantur cōiuncta sic, ut quicquid enunciatur unum fiat ex ijs quæ separatim possunt enūciari, nōnulla cōtra, inter ea quid interest? Separatim de homine uere dicitur animal, & bipes separatim, ut hæc sint uelut unum: ac dicere licet hominem & album perinde quasi unum: at non si futor & bonus, iccirco futor bonus. Si enim quod pars utraque sit uera, totum debeat esse uerum, multa absurdā dictu sequentur. De homine uere dicitur & homo & albus, id ergo totū dicitur.

dicetur. Rursum si album de homine dicetur albo, id totum coniungetur. Erit igitur homo albus, albus: & hoc progradientur in infinitum: atque etiam hæc, musicus, albus, incedens, saepius cōnexa nunquā perducentur ad finem. Iam si Socrates est Socrates & homo, coniunctim dicetur Socrates est Socrates homo: si que homo & bipes, erit homo homo bipes. Perspicuum est igitur absurdum quædam nec pauca sequi, si quis affirmet separatorum coniunctiones fieri simpliciter: ut autem statui debeat, nunc explicemus. Accidentia quæ sunt in eorum numero quæ de alijs enūciantur, & de quibus alia dicuntur, siue de eodem subiecto, siue alterum de altero enūciatur, non efficient unum, ut homo candidus est & musicus: at ex candido & musico non fit unum, quia utrumque accidens est. nec si de albo uere dicetur musicum, siccirco tamē ex albo & musico fieri unum. accidentia sunt candidum & musicum: quapropter ex ijs duobus non efficietur unum. Ob eam causam non dicitur sutor bonus simpliciter, sed animal bipes, quia nō sunt hæc accidentia. Præterea nō debent adiungi quæ in alio insunt. ea de causa saepius non est repetendum illud album, nec homo dicendus est homo animal, aut homo bipes. hominem cōtinentur bipes & animal. De quoipiam uere dicere licet aliquid non coniunctim modo, sed etiam separatim, ut de uno quoipiam mortalium hominē, aut de homine candido candidū hominē. Id nō semper habet locū, sed cū in eo quod adiunctū est, oppositio quædā reperitur, quæ consequitur cōtradicō, nō est uera diuisio sed falsa, ut si mortuus homo dicatur homo: si nulla reperitur, est uera. An uero quādo reperitur oppositio, semper est falsa diuisio, quādo abest, nō utique uera? ut Homerus est aliquid ut poëta, Homerūsne est an nō? Hoc

C

# ARISTOTELES

uerbum est, de Homero dicitur propter alterius interuentum: quia nō enunciatur de Homero quia sit, sed quia poëta sit. In quibus igitur enūciatis nulla est cōtradic̄tio, si pro nominibus usurpentur definitiones, sed quædā per se ipsa nō propter alterius interuentū enunciātur, in ijs aliquid separatim uere dicetur. Id autē quod nō est, nō eo quod opinabile est, iccirco uere esse dicemus. non enim quia sit, sed quia nō sit, eius est opinio.

## De enunciationibus modorum.

9.

HIS expositis, uidendū est ut opponi debeant inter se affirmationes atq; negationes, eæ quæ pronūciant aliquid fieri posse, nō posse: cōtingere, nō cōtingere: esse quod fieri nequit: necessario euenire. In ijs enūciationibus quæ pugnāt inter se, cōtradictiones eæ respōdent ex aduerso, quæ sic disponuntur ut una dicat aliquid esse, altera nō esse, ut sunt hæc, Est homo, Non est homo, non ita, Est nō homo: Est albus homo, Non est albus homo, non ita, Est non albus homo: quia si omnibus adiungitur affirmatio aut negatio, hæc erit uera, lignum est nō albus homo. In enūciationibus ijs quibus nō adhibetur uerbum est, ita affirmatur aut negatur id quod in eius locū sufficitur, ut hæc cōtradicant, Incedit homo, Nō incedit homo, nō hæc, incedit non homo. nihil enim refert utrū dicas incedit homo, an incedens est homo. Quod si manet ubiq; ista cōtradicendi ratio, enūciationis huius, ut hoc sit fieri potest, erit negatio non hæc, ut hoc sit fieri nō potest: sed hæc, ut ne sit hoc fieri potest: at idē uidetur posse & esse & nō esse. Quicquid enim diuidi potest aut incedere, idē potest neq; diuidi neq; incedere: cuius est ratio, q; non quicquid hoc modo fieri potest, reuera semper est: quapropter etiā negatio cōueniet, quia potest iter nullum facere, cui sit eundi facultas: potest aspectabile non aspici. At uero

nerò quæ de eodē enunciātur affirmations atq; negationes in cōtradictione, simul ueræ esse nō possunt. Non igitur hæc oratio, ut hoc ne sit fieri potest, cōtradicit huic, ut hoc sit fieri potest. Ex his enim efficitur ut idē de eodē simul affirmetur uere & negetur, aut ut ex uerbis Est, nō est, adiūctis nō oriantur affirmations atq; negationes. Quod si illud hancquaq; fieri potest, hoc erit eligendū. Negatio igitur orationis huius, ut hoc sit fieri potest, est hæc, ut hoc sit fieri nō potest: non ista, ut hoc ne sit fieri potest. Eadē est ratio huiuscē pronunciati, Contingit ut hoc sit, cuius est hæc negatio, Non contingit ut hoc sit. In alijs eadem seruanda modorū negatio, ut in eo qui facultate priuat, & dñm uocant, & in necessario. Ut in illis enunciationibus quæ modū nō explicant, uerba est, nō est, enunciantur: res subiiciuntur, ut quæ designātur hominis & albi nomine, sic in orationibus his quæ declarat̄ modū, uerbum esse, & non esse uti subiectū ponitur: modi fieri potest, & contingit adhibentur enunciāturque, ac ut in illis uerbū est & non est, sic in his modus ostendit uerum atque falsum, ut in his duabus, ut hoc sit fieri potest, ut hoc sit fieri non potest. Huius orationis, ut ne sit hoc fieri potest, negatio nō est hæc, ut hoc sit fieri non potest, sed hæc, ut ne sit hoc fieri nō potest. Nec huius, ut hoc sit fieri potest, hæc est negatio, ut ne sit hoc fieri potest, sed hæc, ut hoc sit fieri nō potest. Ob eam causam uidentur hæc cōsequentes, Potest hoc esse, Potest hoc non esse. Nam ut idem sit, & ut nō sit fieri potest. Non sunt enim cōtradictiones istæ, Potest esse, potest nō esse, sed hæc, Potest esse, nō potest esse, quæ nunquā erunt simul ueræ, si de eodē enunciabuntur: quoniā contradicūt, atq; adeo nunquā simul hæc de eodē uere dicētur, Potest nō esse, Nō potest nō esse. Itēmq; pro

C ii

# ARISTOTELIS

nūciati huius, Necesse est esse, nō est hæc negatio, Necesse est nō esse, sed hæc, Esse nō est necesse. *Huic autē*, Necesse est non esse, cōtradicit hæc, Nō necesse est nō esse. *Huic*, Est quod fieri nō potest, nō contradicit hæc, Est quod nō fieri nō potest, sed hæc, Nō est quod fieri nō potest. *Huic*, Est quod nō fieri nō potest, aduersatur hæc, Non est quod non fieri nō potest. Vbiique (sicuti iā diximus) uerba est, nō est, ponēda sunt uti subiecta. Hæc autē in quibus est affirmatio negatiōue, uerbis est, non est, adiūgi accommodariq; debet: atq; enūciationes hæc in cōtradicentibus habenda, Potest, nō potest: Cōtingit, non cōtingit: Est, quod nō potest fieri, Non est quod nō potest fieri: Necesse est, non est necesse: Verum, non uerū est. Ac consecutiones proportione respondent hoc modo dispositis.

*Consequuntur hæc atque reciprocantur.*

*Hæc quoque sunt consequentia.*

*Sunt & hæc consequentia.*

*Atque respondent hæc in consecutione.*

{  
Potest fieri ut sit.

{  
Contingit ut sit.

{  
Non est quod esse non possit.  
Esse nihil est necesse.

{  
1 Fieri potest ut non sit.

{  
3 Contingit ut non sit.

{  
2 Non est necesse non esse.

{  
4 Non est quod non esse nō potest.

{  
1 Non potest esse.

{  
3 Non contingit ut sit.

{  
2 Necesse est non esse.

{  
4 Est in ijs quæ esse non possunt.

{  
1 Non potest non esse.

{  
3 Non contingit ut non sit.

{  
2 Necesse est esse.

{  
4 Est in ijs quæ nō possunt nō esse.

Porro

Porro autem, Est quod esse nequit, Non est quod esse nequit, si contradicentia compares, & affirmationem mutes in negationem & contra, consequentia sunt his, Contingit ut sit, potest esse, non contingit ut sit, non potest esse. Hæc enim negatio, Non est in ijs quæ nō possunt esse, cōsequens est ei quæ est, Potest eſſe. Et affirmatio negationi, ut, Est in ijs quæ non possunt esse, cōsequens est huic, Non potest esse. Affirmatio est cum dicimus, Est quod non potest esse : negatio uero, Non est quod non potest esse. Videndū quo in genere opponendi ueretur necessarium. Nec dubium est quin non ueretur in eo quod diximus, sed contrariæ consequuntur, contradictentes excluduntur, Esse, non est necesse: non est huius negatio, Necesse est non eſſe, quia ambae de eodem simul uere dici possunt. Nam quod necesse est, non eſſe, non necesse est eſſe. Quod autem non ut cæteræ enunciationes, sic illæ quæ necessariæ dicuntur, sint consequentes, id est causæ, quod contrarie, id quod est in ijs quæ non possunt esse, ei quod necessarium est eſſe responderet, utpote quod ualeat idem. quia quod est in ijs quæ non possunt esse, id necesse est, non dico eſſe, sed non eſſe. Quod uero habetur in ijs quæ non possunt non eſſe, id ut sit necesse est. Illa igitur si & que sunt his consequentia, Poteſt eſſe, Non poteſt eſſe: hæc consequentia sunt contrarie, propterea quod nō idem significat istuc, Necessariū est, quod hoc, Est quod eſſe non poteſt: sed uti dictum est, affirmatione & negatione commutata. An fieri non poteſt ut ita disponantur necessarij contradictiones? Nam quod necesse est eſſe, id eſſe poteſt, alioqui negatio cōsequetur, quia affirmare necesse est aut negare. Itaque si non poteſt eſſe, est in eorum numero quæ non possunt eſſe. Quod igitur est in ijs quæ non possunt

C iiij

# ARISTOTELES

esse, id necesse est esse: at hoc absurdum. At uero huic enun-  
 ciationi, Potest esse, cōsequens est hæc, Non est quod nō potest  
 esse: huic autem respondet, Eſſe non est necesse. Accidit igitur  
 ut non sit necesse id eſſe, quod necesse est eſſe: at istuc abſur-  
 dum. Enim uero hæc oratio, Necesse est eſſe, non est cōsequens.  
 huic, Potest eſſe: nec iſta, Necesse est non eſſe: huic enim acci-  
 dere potest utriusq; uis: ac utralibet fuerit uera, iam nō erunt  
 ille uera. Simul aliquid eſſe, eſſe non eſſe potest. Quod si  
 necesse est eſſe aut non eſſe, non erit utrūque in ijs quæ fieri  
 poſſunt. Relinquitur ergo, ut hæc oratio, Non est necesse non  
 eſſe, cōsequens sit huic, Potest eſſe. Id quoque uere dicitur eſſe  
 de hac, Necesse est eſſe: quoniam est ei cōtradictio quæ conſe-  
 quens est huic, Nō potest eſſe, quādoquidē non potest eſſe, ne-  
 cessere est non eſſe: cuius est negatio, Non necesse est non eſſe,  
 illi conſequens est. Conſequentes igitur ſunt hæc cōtradictio-  
 nes, quemadmodum dixi. quibus ita diſpositis, nihil conclu-  
 ditur quod fieri non poſſit. Quæreret aliquis, an huic, Necesse  
 est eſſe, ſit hæc conſequens, Potest eſſe. Quod ſi non eſſe conſe-  
 quens: illius hæc contradictio, Non potest eſſe, conſequetur.  
 Hanc ſi quis dicat non eſſe contradicentem, cogetur hanc op-  
 ponere, Potest non eſſe: quæ ſimul ſunt falſæ, cum dicūtur de  
 eo quod necesse eſſe. At enim uidetur idem ſecari poſſe  
 eſſe non ſecari, eſſe eſſe non eſſe. Itaq; quod eſſe necesse eſſe, po-  
 terit non eſſe, quod eſſe falſum. Hoc quidem perſpicuum, non  
 id omne quod eſſe poſſet aut ambulare, admittere poſſe con-  
 traria. id in quibusdam non eſt uerum. Primum in ijs quæ  
 ſine ratione efficere poſſunt, ut ignis habet uim calfaciendi,  
 ſed facultas eſſe ei rationis expers. Enim uero facultates quæ  
 ſine ratione non ſunt, eae multa contraria efficere poſſunt:  
que

*quæ sine ratione sunt, non omnes possunt: sed uti diximus, ignis non potest & calfacere & non calfacere. Non possunt utrunque alia omnia, quæ semper efficiunt. Quædam tamen & si facultates habent rationis expertes, possunt una admittere contraria. Hoc eo dico, quod non omnis facultas apta est ad opposita recipienda: sed ne illæ quidem omnes quæ eadem specie continentur. Quædam facultates et si nomen retinent idem, rationem tamen habent diuersam. Nam quod Græci σύνεστι vocant, nostri posteriores possibile, non uno modo dicuntur. Aliud enim posse esse uere dicitur, quia reuera est, ut ingredi potest quod ingreditur. ac ut summatim dicam, quicquid iam est, dicitur esse posse. Aliud quod reuera futurum est, ut quod ingredietur ingredi potest. hæc autem facultas est in ijs tantum quæ moueri possunt: illa uero in ijs quæ nequeunt moueri, ac utrunque dicitur uere ingredi aut esse posse, & quod iam graditur & agit, & quod potest ingredi. Hoc genus potestatis non potest plane de necessario dici, alterum potest. Itaque quia parti consequens est genus, ex eo quod est necessario concludetur id quod esse potest, non tamen id omne concludetur. Ac fortasse Necessum & non necessum, principium est ac causa cur sint, aut non sint omnia, atque uidendum ut sint his alia consequentia. Ex ijs quæ dicimus planum fit, id esse reuera quod est necessario. Quare si priora sunt æterna, actus est prior satultate. Atque res aliæ sunt reuera sine illa facultate, ut substantiæ primæ: aliæ cum ea facultate, quæ natura priores, tempore posteriores sunt: aliæ nunquam re ipsa constant, sed tantum esse possunt.*

*De contrariis aptioribus.*

10.

*V T R V M autem contraria est affirmatio negationi? an*

# ARISTOTELIS

affirmatio affirmationi? & oratio orationi, ut ea qua dicitur,  
 Omnis homo iustus, huic, Nullus homo iustus: an hæc Omnis  
 homo iustus, huic, Omnis homo est iniustus, ut Est Callias iu-  
 stus, Non est Callias iustus, Callias iniustus est? utra harum  
 contraria? Nam si ea quæ uoce declaramus, sequuntur ea quæ  
 mente complectimur, & in animo est opinio contrarij: ut cum  
 has enunciationes comparat, Omnis homo iustus, Omnis ho-  
 mo iniustus: in ipsis etiam pronunciatis quæ uoce exprimitur,  
 ut ita res habeat, necesse est. Quod si in eo non est de contra-  
 rio opinio contraria, ne in uoce quidem erit affirmatio affir-  
 mationi contraria, sed ea quam diximus negatio. Videndum  
 est igitur quæ opinio falsa cōtraria sit opinioni uerae: utrum  
 ea quæ negationis est, an ea quæ contrarium esse opinatur.  
 Quod dico, sic accipi uolo: Est opinio quædam boni uera, quæ  
 existimat esse bonum: altera quæ censet non esse bonum, fal-  
 sa: alia quæ iudicat esse malum: utra harum enunciationi ue-  
 ræ contraria? & si est una, ex utra est oppositio contraria?  
 Ex eo iudicare cōtrarias opiniones definiri, quod cōtrariorū  
 sint, falsa est sententia. Opinio boni quæ censet esse bonum,  
 & mali quæ existimat esse malum, est eadem fortasse, atque  
 ea uera, siue sit una siue plures. Contraria sunt hæc, sed non  
 eo quod sunt contrariorum, siccirco contrariæ sunt opiniones,  
 sed ea potius quæ contrarie pugnant. Si qua est opinio bo-  
 ni quæ bonum esse putat, & altera quæ existimat nō esse bo-  
 num, & alia quæ putat aliud nec inest bono, nec inesse  
 potest: nulla ex opinionibus statuenda contraria, quæ aliud  
 opinantur, ut quæ censent inesse quod non inest, aut nō inesse  
 quod inest. Vt ræque sunt infinitæ, & quæ autumant inesse  
 quod non inest, & non adesse quod adest. Sed ea contrarie  
in quibus

in quibus est fallacia. Eae sunt in ijs ex quibus ortus rerum: Ex oppositionibus sunt ortus rerum: ex his igitur fallacie. Si igitur bonum et bonum est et non malum, bonum per se, non malum euentu quodam: quia accidit ut malum non esset: si que magis est uera opinio de quaq; re, ea quae per se, certe et magis falsa quae per se est: quandoquidem eius est eadem ratio quae uerae. Itaque falsa opinio quae bonum autumat non esse bonum, est eius quod per se inest: illa quae arbitratur bonum esse malum, est eius quod accidit euentu quodam: quare magis erit falsa negationis opinio, quam contrarij. In quaque re maxime aberrauit, qui in contrariam sententiam descendit. Sunt enim contraria, quae in eodem genere plurimum distant. Itaque si harum opinionum altera est contraria, magis autem contraria est negationis opinio: non est dubium quin illa sit habenda contraria. Ea uero quae putat bonum esse malum, pugnat cum priore: quia fortasse necesse est eum qui dicitur hac opinione, existimare bonum non esse bonum. Præterea si in reliquis res ita esse debet, bac in parte uidebuntur esse recta quae diximus. Aut enim ubique contraria est opinio contradictionis, aut nusquam. Quibus autem non sunt contraria, de ijs est falsa sententia quae uerae opponitur, ut qui putat hominem non esse hominem, falsus est. Quod si haec negationes sunt contrariae, erunt et aliae quae contradicunt. Adde quod simili est opinio boni quae putat esse bonum, et ea quae non bonum arbitratur non bonum: ac præterea boni quae dicit non esse bonum, et non boni, quae bonum. Ei uerae opinioni quae censet non bonum esse non bonum, quænam erit contraria? Non enim ea quae fert esse malum, quia interdum simul erit uera, nunquam uera uerae contraria. Est enim aliquid non

bonum, malum: quare poterunt simul esse uerae. Nec erit contraria, quæ iudicat non esse malū: hæc quoque uera est, erunt igitur simul uerae. Relinquitur ergo ut ei sit contraria quæ non bonum putat non bonum, ea quæ arbitratur non bonum esse bonum. est enim falsa. Itaque opinio boni quæ iudicat non esse bonum , erit ei contraria quæ autem bonum esse bonum. Perspicuum autem nihil interesse, utrum uniuersi efferamus affirmationem , quia tum generis uniuersi negatio erit contraria: ut opinioni quæ existimat id omne esse bonum quod bonum est, contraria est opinio quæ censet nihil esse bonum quod est bonum. Nam opinio quæ putat bonum esse bonum si bonum dicatur uniuersi, est eadem quæ opinio existimans, quicquid est bonum id esse bonum: hæc autem nihil differt ab ea quæ coniicit, id omne quod est bonum esse bonum. Eadem est ratio non boni. Si ita est in opinione, et affirmations atque negationes quæ uoce exprimuntur, sunt nota et indicia notionum animi, non est dubium quin affirmationi contraria sit negatio quæ enunciatur de eodem uniuersi: ut huic, Omne bonum est bonū, aut huic, Omnis homo bonus: contraria hæc est, Nullum bonum est bonum, aut Nullus homo bonus. Contradicit autem hæc, Non omne bonum est bonum, Non omnis homo bonus. Hinc planum fit non accidere ut uera uerae sit contraria, neque opinio neque contradictionis . Sunt enim contrariae inter oppositiones . De oppositis idem potest affirmare uerum , simul tamen eidem contraria non possunt inesse.

τίλος ἐπὶ πρᾶγματις.

Collection privée

